

z. e.
DISSERTATIO MEDICA
DE
SIGNATURIS HERBARUM

1639, 2
21

Quam
SUB PRÆSIDIO
Clarissimi & Experientissimi Vtri,
DN. JOH: TILMANNI
MEDICINÆ DOCTORIS ET PRO-
FESSORIS DIGNISSIMI, DOMINI
Fautoris ac Præceptoris sui honorandi.

PUBLICO EXAMINI SUBIICIT
In auditorio Medico ad diem 23. Martii.

JOH. GEORGIUS HORST
Author.



MARPURGI HESSORUM
Typis Vidue Simonis Zachmanni,
MDCXXXIX.

INSTITUTIO
MAGISTRI

PHILIPPO
MAGISTRO

PHILIPPO
MAGISTRO

PHILIPPO
MAGISTRO



MARINUS HESSORUM
Typis Vindob. Schönbacher
M D C XXXIX.





VIRIS.

Ad modum Reverendis, Nobilissimis, Consultissimis

Excellentissimis, Experimentissimis, Clarissimis.

Dn. Rectori, Vice-Cancellario, Decanis ac Professoribus Uni-
versitatis Marpurgensis.

JOH. CONRADO Schragmüller / S.S. Theol. Doctori &
Physices Professori, p.t. Rectori Magnifico.

ANTONIO NESENO, Jcto & Vice-Cancellario.

JUSTO FEURBORN,

JOH. STEUBERN,

MENONI HANNEKENIO

JOH. HENRIC. TONSORN

} S.S. Theol. D. & P.P.

JOH. Breidenbach /

JUSTO Sinolt Cognomento Schügen / J.U.D. & P.P.

JOHAN. Roemmann /

NICOLAO Braun /

JOH. DANIELI Horst /

} Med. D. & P.P.

JOH. TILMANNO,

M. THEODORO VIETORI, Græcæ Linguae P.P.

M. CONRADO Bachmann / Poës. P.P.

M. JOH. Casparo Ebeln / Log. & Metaph. P.P.

JOH. SIGFRIDO Blanckenheim / J.U.D. & Phil. Practicæ
P.P.

M. JOH. BALTHAS. Schuppen / Hist. & Eloq. P.P.

M. ERNESTO MYLIO Mathem. discipl. P.P.

M. CONRADO MATTHIÆ, Critices P.P.

*n. Macenatibus, Fautoribus, affinibus, Fratri ac Præceptoribus suis
honorandis solendis.*

Diu



Iu est, Patres Academiae Conscripti meritissimi, quod animo volvi atque revolve, quibus mediis beneficia ista, quae per aliquot annos, uberrim in me contulistis, recompenfare possem. Cum vero & in hunc usque diem vestris beneficiis paria mihi desint munera, factum hunc immaturum, gratæ mentis *τελευτή* vobis offero, annexa petitione ut & in posterum favere velitis

discipulo vestro

observantissimo

Johann. Georg. Horst.

Præf.



Præfatio.



Hx quo Crollii labores nobis innotuerunt, probè quantahi externis etiã Medicis adversus ipsum reverentia causa? Ex Crollio pendere omnem Medicæ artis perfectionem plerique, si non omnes, crediderunt? Crollium sedere veluti fortuna caterorum Medicorum arbitrum putarent, in quorum gloriam non paria ipsius arma, sed majora fulgeant. Fateor & me eadem ecstasi raptum, susq; deq; ante hac habuisse, quod non oleret Crollium, aut ipsius patrem pro more temulentum Paracelsum. Pulverulenta penitus in museo antiquorum volumina remanebant, hanc ob causam, quod tribus quasi verbis edoceat Crollius, quod prolixo volumine studet proponere meritissimus Galenus & Hippocrates. Pro herbaceis corporibus ostenditur essentiæ quintæ, spiritus & magisteria. Nucleus gustandus datur, quibus putamina suffecerunt. Citò, suto, iucundè curandi methodus proponitur, quam frustra potiones, linctus & magna electuaria promittant. Nec diffiteor ipsum Crollium chymico cultello multa pura ab impuris separasse, multa utilia elaborasse, plura recensuisse, id tamen male me habet, quod in omnibus Paracelsum antiquis præferat, ac si arti nostræ Medicæ sine ipsius chymia, tantâ pupillâ, metuenda cecitas, demptorve hoc corde, interitus. Labores quidem chymicos Crollii transire patiar hac vice, quamquam multa absona corrigenda sciam, quæ partim me edocuit p. d. Paren-

A

216

2
sic Vulcanus, partim innuit Billichius. Signaturas saltem rerum,
quas fingit, quodammodo ruminabo, hancq; ob causam, ut videas
benevole lector, an certiore modum, herbas earumq; virtutes,
& qualitates cognoscendi, Crollius, an vero Antiqui habeant.
Ostendam aniles esse Crollii signaturas, anilem modum herbas
cognoscendi, non tamen rationum schemata anilia adducam; idq;
hoc ordine: ut primo Veterum herbarum qualitates inveniendi
modum proponam. Deinde Crollii & juniorum quorundam
novum per signaturas herbas cognoscendi modum declarem.
Tertio quam inanis hic modus sit, ostendam. Sancta Trias no-
stris nunc annue ceptis.

CUM DEO

ARTICULUS I.

in quo

Veterum herbarum qualitates inveniendi modus.

Dvo sunt potissimum in cognitione plantarum *juxta us-*
teres inquirenda, *Forma* sive figura, & *Virtus* sive usus.
Formarum tot sunt *differentie*, quot *diversitates* e *partium*
varietatibus resultant, quarum alia *ὁμοιοπέπεις* similes di-
cuntur, alia *ἀνομοιοπέπεις* dissimiles, ex similibus con-
stantes. *Utraq;* vel *communes* sunt, vel *propriae*. *Partes simila-*
res communes, ferè semper omnium plantarum partibus
dissimilaribus; *Propriae* non nullis tantum partibus planta-
rum dissimilaribus insunt. *Partes, dissimiles cōmunes* cun-
ctis stirpibus communes sunt, non tamen omnes, omni-
bus, sed quibus omnes in sunt, eæ perfectæ appellantur
plantæ, quibus vero desunt, imperfectæ dicuntur. Hæ
partes dissimiles communes rursus aliis constant *particulis si-*
milaribus

milibus, propriis aut magis communibus, externis aut internis. Propriæ dissimilares, in partibus dissimilaribus præcipuè tantum inveniuntur.

2. Partibus sic brevissimè recensitis, earum patent *differentia*, in quarum enodatione, à radice tanquam à principio incipere solent Botanici, quæ differunt inter se *figura, colore, odore, sapore & numero*. Caules sequuntur, & habent easdem differentias. *Folia* iisdem differunt differentiis, quibus tamen additur *positio*. *Flores* differunt *figura, colore, densitate, raritate, asperitate, mollitie, levitate, sapore, odore, numero & quantitate foliorum, situ*. *Fructus & semina* differunt *figura, colore, tactili qualitate, odore, sapore, numero, magnitudine & situ*. Ex quibus partibus & differentiis plantarum quatuor constituuntur earundem in summa genera, *Arbor* scilicet, *frutex*, *Φρύγανον* & *herba*.

3. *Arbor* est id, quod singulari à radice stipite asurgit, qui caudex vocatur, & in multos postea ramos majores, quos ἀκρίμους & ὄζυς Græci vocant, finditur: deinde in ramusculos multiplices quos iisdem κλάδης, Latini surculos appellant: quodq; non facile dissolvi potest, *Frutex* est, quod à radice emittit plures stipites, qui postea singuli in multos ramos sparguntur. *Φρύγανον* herba fruticans, quæ ramulis compluribus, surculisque lignosis scatet, minutis constat foliis, ut sint veluti fruticum rudimenta. *Herba* est quæ à radice folia fert, antequam caulem edat: quibus quatuor generibus quintum à quibusdam additur, quod *tubera & fungos terra* comprehendit.

4. Explicatam sic formam sive figuram, sequitur investigatio earundem virtutum sive usus. Utimur autem herbis, partim ut corpus nutriant & vitam sustineant, partim ut alterent & morbos depellant, ex quibus patet, duas

4
facultates! stirpibus inesse, unam *nutriendi*, *alterandi* alte-
ram. *Illud* alimentum est *hoc* Medicamentum.

5. *Medicamenta* autem vel *manifesta* alterant quali-
tate, vel *occulta*. *Qualitas* manifesta triplex est *prima*, *secun-*
da & *tertia*. *Prima* est *calor*, *frigus*, *humor*, *siccitas*, & est rursus
duplex, una *simplex*, altera *composita*, quæ iterum quatuor
classes sive gradus sub se complectuntur. *Secundæ* *qualitates*
sunt, quæ ex primis dimanant, unde secundæ nominan-
tur, *mollities*, *durities*, *varitas*, *densitas*, *asperitas*, *levitas*, *cras-*
sities, *tenuitas*, *tensio*, *laxitas*. *Tertiæ*, *qualitates* ex primis atq; se-
cundis vario modo junctis oriuntur, tales sunt *pus* *moven-*
di, *urinam* *ciendi*, *menses* *provocandi*, *lac* & *semen* *generandi*
vel *minuendi*, *vel* *augendi*, *vel* *extinguendi*, *dolorem* *sedandi*, *carne*
generandi, *glutinandi*, *Cicatrice* *inducendi*, quibus additur quæ
ad *ornatum* spectare videntur. Græci *ἐκ τῶν ἰσχυρῶν* vocant.

6. *Occultæ* *qualitates* sunt, quæ à tota substantia di-
manant; dicuntur *occultæ*, quod earum effectuum ratio à
manifestis elementorum qualitatibus deduci nō possint;
quibus qualitatibus herbæ præditæ *evacuant* aliæ, aliæ *al-*
terant. *Evacuant* aliæ *per se*, aliæ *per accidens*, è *toto corpore*, aut
aliqua *ejus parte*, peculiare quiddam, sive id *humor* *sit* *bilio-*
sus, *melancholicus*, *pituitosus* *serosus* *ve*; sive *res* *quædam* *p. n.* *ve-*
luti *spiculum*, aut *telum* *corpori* *infixum*. *Quæ* *à* *toto* *cor-*
pore *evacuant*, *humores* *purgare* *dicuntur*, quod vel *vo-*
mitu *vel* *dejectione* *perficitur*. *Evacuant* *vel* *per se* *ex* *pecu-*
liari *aliqua* *parte* *ex* *gr.* *ex* *cerebro* *per* *nares*, *per* *os* & *c.*, *vel* *per*
accidens, quæ id præstant, quia *attractricem* *partium* *qua-*
rundam *facultatem* *augent*. *Occulta* *qualitate* *alterant*, quæ
nos *repentè* *interimunt*, aut *parti* *alicui* *tota* *substantia*
noxam *aliquam* *gravem* *cito* *adferunt*.

7. *Præmissa* *partium* & *qualitatum* *herbarum* *explica-*
tione

5
tione, ipse modus facultates & qualitates inquirendi sequitur.
Dux sunt viæ, quæ nos indignatione facultatum ac virtu-
tum herbarum deducunt, *usus* seu experientia, & *ratio*.
Ratio est *difficilis*, experientia *periculosa*. Occultarum au-
tem qualitatum inventrix & iudicatrix est sola *experientia*,
reliquarum verò, quæ à tribus manifestis qualitibus de-
pendent, ipsa, conjuncta experientia, *ratio*, quæ desumi-
tur à *saporibus* & *odoribus*. *Sapores* alii sunt *simplices* alii *com-*
positi, simplices septem sunt; *austerus*, *acerbus*, *acidus*, *acer*,
salsus, *amarus*, *dulcis*, qui tamen omnes intentione & remis-
sione differunt. *Compositi* sunt, qui ex his simplicibus
sunt permisti. *Odores* item vel *simplices* sunt vel *compositi*.
Simplices sunt *suaavis* seu *jucundus*, *gravis* seu *graveolens*, *acer*,
acutus, *asper*, *dilutus*, *virosus*, *teter*, *putridus* & *nidorosus*.

8. Ex *saporibus* plantarum vires cognoscuntur, non
modo qualitates, quæ gustui se offerunt, sed etiam *mate-*
riam, cui inhaerent, considerando; sicut enim *sapores* qua-
litatum primarum, *ita materiae*, intellige non per se, sed
quatenus cum primis elementorum qualitibus conjun-
guntur, secundarum sunt indices. *Simplices* autem *sapo-*
res, *simplices* etiam qualitates primas tam passivas, quam
activas manifestant; quatuor *caliditatem*, acris nimirum,
amarus, *salsus*, *dulcis*; quatuor *frigiditatem* *acidus*, *acer-*
bus, *austerus*, *insipidus*; pinguis *temperiei temperatae* index
est. *Misti* mistas denotant qualitates. At minus certe *odo-*
res plantarum vires nobis monstrant; sunt enim non ita
manifesti sicut *sapores*. *Aristot.* l. 2. *de anim.* neq; immedia-
te fit *odoratus*, sicut *gustus*, sed mediante aëre, qui facile ab
aliis rebus alteratur, adde quod plurima reperiantur,
quæ vix ullum habeant odorem. *Occultas qualitates* solus
usus & experientia manifestat quæ tamen & *ἰσχυρὰ*, ἀλλὰ

A 3

γίγνεσθαι

γιννομένη μετὰ διορίσμων esse debet, non uni observationi
 insistendo, sed plures examinando, quod fiet, omnia quæ
 ad ἐμπειρίαν διορίσμενν requirentur, diligenter perpendē-
 do *agens* nimirum *medicamentum* & *patiens corpus seu subjectum*.
 Ubi in medicamento spectanda *substantia, quantitas, qualitas*
ætas, tempus collectionis, locus natalis & similia. In corpore sive
 subjecto attendendum, ut experientia fiat, *in homine tem-*
perato, qui sit regula & mensura, ad quam omnes medi-
 camentorum actiones comparantur. Nec tamen sufficit
 in uno corpore fieri experientiam, sed in multis & quidem
 similibus temperamento, ætate, sexu, corporisq; structura.
 Ita enim secundum Arist. 1. Metaph. c. 1. Ars fit ὅταν ἐκ πολλῶν ἡς
 ἐμπειρίας ἐννοημάτων καθόλου μία γένηται περὶ τῶν ὁμοίων, ὑπόληψις.

9. Dicimus supra duas plantas inesse facultates, u-
 nam *nutrientem*, aliam *alterantem*; de alterante jam dictum
 sequitur *nutriens*, quæ facultas *alimentum* dicitur & com-
 prehendit vel *liquida* vel *solida*. Illa levi in ore indigent præ-
 paratione, aut nulla: hæc vero præparari masticatione de-
 bent, quæ præcipue fit per *proprium oris calorem & salivam*,
 quæ ex stomacho, oriq; vicinis partibus suppeditatur, se-
 que cum cibo permiscet, ut liquidior evadat, facilius
 deglutiat, temperiem aliquam cum ventriculo ineat
 familiarem, substantiamque chylo ventriculi similem fe-
 rè efficiat, quæ à ventriculo facilimè in chylum converta-
 tur. Horum sicut & medicamentorum qualitatatum in-
 ventrices sunt *ratio & experientia*, illa nos docet ex odore
 & sapore, hæc eo quo antea recensuimus modo. Et hæc
 est via herbas cognoscendi, quam secuti Veteres, vidobimus
 jam consequenter quid Crollius, qui hanc omnio futilem
 & inanem iudicat proponat.

ARTI-



ARTICULUS II.

in quo

Crolli novis herbarum vires indagandi
modus

PER spicacioribus autem oculis, altiori ingenio (inquit Crollius) subtilioribus inquisitoribus opus est, si plenariam & iustissimam plantarum cognitionem deprehendere velimus; quam iniusta & fallaci quatuor qualitatuum censurâ, caliditate scilicet, frigiditate, humiditate & siccitate, illarum vires explorare. Putat enim Crollius à plantarum signaturis optimam & veram methodum, spreto Veterum, herbas cognoscendi, resultare; quod ipsum ante Crollium Paracelsus ab Avicenna & ab his Turnheiserus cum Porta hausit.

2. Spreto ergo & rejecto Veterum modo herbas indagandi, Crollius à signatura vires addiscendas statuit, quam signaturam plantarum ipse & dicti authores desumunt vel ab iis, quæ extra corpus planta consistunt, ut sunt *nasale solum*, regio; vel ab iis quæ corpori in herent; ut sunt *color & figura*: In specie tamen Crollius lib. de signat. Signaturam intelligit: Harmonicam rerum cum corporis nostri membrorum convenientiam, ex qua rerum vires nobis innotescant.

3. Hinc dicit *Capitate capiti* prodesse ut est papaver cum corona, Agaricus, scylla &c. *Capillis* ob similitudinem lanuginem malorum cydoniorum, muscum ob longum arborum, adianthum &c. *Auribus* folia asari, cochleas &c. *Oculis* grâa nigra herbæ aris, florē euphrasie, anthemidos, calthæ &c. *Naso* mentastrum, *Gingivis* sedum minus, *Dentibus* semen hyoscyami, acini mali punici, dentariam &c. *Gutturi* pyrolam, uvulariam, cervicariam.

Hepa-

Hepati hepaticam, fungum betulinum, pyra &c. Cordi citrium, allelujam &c. Pulmoni pulmonariam arboribus adnascentem & maculosam. Bili viride involucrum iuglandis. Lieni scolopendriam, ceterach. Ventriculo folia cyclaminis, zingiber, galangam. Umbilico Veneris umbilicum. Intestinis calamum Aromaticum, cassiam fistulam. Vesica alkekenigi, coluteam, solanum &c. Pudendis aron, fabas, cichorium, hieracium, fructus pini &c. Testibus orchides, dracunculum majorem, porrum, boletum ceruinum, phallum &c. Vtero aristolochiam rotundam, betulae interiorum corticem, sabinam, malum punicum &c, renibus portulacam. Spinae dorsae equisetum &c. tibiis & ossibus geranium &c, nervis & venis plantaginem &c. poris cutis hypericon, manibus manum Christi, folia ficus &c. quibus postea signaturas morborum, secundum affectus ordine & prolixè postponit.

4. In proœmio autem lib. de sign. rerum multa inania Crollius recenset; Dicit in principio: Deum voluisse nobis vires herbarum ostendere per signaturas, non per loquelam, quia loquuntur homines vario, non uno idiomate, signatura vero ab omnibus cognosci facile possunt, herbasq; sic magice per signaturam pœtus introsipientem alloqui Medicum, suaq; interiora in occulto natura silentio abdita, ipsi per similitudinem manifestare.

5. Vt nostri, pergit Crollius intimi mores ex corporis externis notis investigari possunt, sic ex plantarum exterioribus signis, interiorum virium homo potest admoneri, ut merito Paracelsus Medici titulo indignum iudicet, qui ex signo signato, id est chyromantia & Physiognomina medicinam non faciat: quibus insuper multa prolixa anilia subjungit.

ARTI-

ARTICULUS III.

in quo

Præcedentis opinionis refutatio.

Miror autem quis genius *Crollio* homini tam acutissimo ingenio prædito, has ridiculosissimas signaturas in flaverit, ut modum hunc incertissimum vires plantarum inquirendi, tanquam certissimum & universalem deprædicet quasi verò nullæ aliæ inveniantur res *capitis figuram præ se ferentes, capiti tamen insensissimæ*, cur non etiam *papaver* appensum, sicuti *acori aquatici lutei radix* appensa juxta *Crollii* opinionem, *Dysenteriam* curans, capitis dolores curat, & contra cur non decoctum *radicis acori lutei* *dysenteriam*, sicut *papa veris* dolores capitis curat. Ut autem ordine procedamus, præponimus hic conclusionem ex *Harmonica plantarum cum corporis nostri membris convenientia, nullatenus plantarum vires innotescere.*

2. Dum autem *Crollius* dicit *capitata conferre capiti*, forma illa aut erit à naturali elementorum mixtione aut à secretiori natura decreto. Non ab elementorum mixtione cum capitis humani temperamento symbolisante quia conservationi in propria constitutione conveniret; nec à dissimili quia à contrariis non prodit idem affectus non uni etiam mederetur affectui: Non à secretiori natura decreto, quia omnia capitata, & ea sola fuissent capiti convenientissima; at *brassica capitata* capitis figuram & varias cerebri gyros repræsentat, quæ tamen nec valde prodest, nec valde obest.

3. Sic *Rosmarinum, majoranam, rutam, serpillum, anisum, faniculum* & alia plura non capitata certissima capitis medica-

C

dica-

dicamenta esse nemo negat; *nemo etiam* omnes flores, antequam ad omnimodam maturitatem pervenerint, instar Pœoniæ folliculi signaturam quandam capitis cum futuris habere, *negabit*, licet plures dentur ex iis capiti inimicæ & noxiæ. Sic multæ herbæ dantur lanuginosæ *agnus Scythicus, verbascum, buglossa, onosma*, quæ tamen aut nihil aut parum prodesse possunt pilis: Econtra dantur, quæ multum faciunt ad pilos generandos, nullam tamen pilorum referunt similitudinem. Sic *Zacutus Lusitanus* Scribit in *Brasiliensi regno*, in civitate *Pernambuquo* reperiri arbores, *Ginibabo* dictas, ex quarum fructuum decocto crescant capilli, quæ tamen pilis non sunt similes. Nec *capilli Veneris* nec *bardana* aliæve pilorum ullam analogiam possident. *Aristolochia rotunda, cochlaria, populago* aures repræsentant, nulla tamen ipsarum vitia curant: *melanthium* vero *cerefolium, sideritis, ruta sylvestris, stæbe &c.* varia earum vitia curant, nullam autem similitudinem obtinent. Innumera herbarum semina nigra & rotunda inveniuntur, oculis tamen infensissima, at quot utilissima contra res figuræ oculorum plane contrariæ reperiuntur, quales *stillatitius feniculi liquor, aq. ros. albumen ovar. mucilago sem. cydon &c.* Si *mentastri aquatici* forma naso similis, bone *DEUS*, quot inveniuntur herbæ similes, quid *lentopodium* & aliæ, verum inter alia præsentissimum & domesticum remedium *nigella semen* aceto maceratum projuvando odoratu, nullatenus vero naso similis. Ridiculosa sane *se di minoris* & *gingivarum* comparatio, ita quidem ut nemo nisi per somnium, aut melancholiam hypochondriacam ex signatura colligere possit ejus succum expressum in *Scorbuto* seu *Stomatace* prodesse, monstretur autem unicum antiscorbaticum, *gingivarum signaturam tantum simulans*, nullum certe

certe reperietur. *Tithymalus paralius* magis dentes repræsentat, quam *hyosciarnus*, nullatenus tamen ejus dolores sedat, probatissimum vero remedium contra dolores dentium sunt pil. de opopanace &c. *Pyrola, uvularia, cervicaria* cum gutturæ nulla plane similitudo, & si esset aliqua, quam varia utiliora gargarissimis immiscentur, qualia *salvia, brunella acetosa, balauustum, plantago &c.* *Agrimonia, dens leonis, Endivia, cichoria, oxalis &c.* Sunt epatica utilissima, figuræ tamen jecoris sunt plane dissimilia. Sic *Coralium, ebur, cornu cervi, rosa, margarita, bolus, moschus, lapis bezoar* & alia mineralia cordi dissimilia, cardiaca sunt exquisitissima. *Hyssopus, glyzyriza, prassium, farfara, capillus veneris, ficus, polypodium, iris, enula, satureia, scordium, squilla* & similia pectus & pulmones sanant, nullam autem ejus signaturam obtinent, & *pulmonaria maculosa* à nullo plane autore excepto nostro signatore, perhibetur pulmonibus prodesse. Quis etiam non deridet *specula pennarum pavonis* cum mammillis & comparationem & curationem, quis vero negabit *artemisiã, abrotanum, chamamelum, chelidonium* lac coagulatum in mamillis, si recte adhibeantur dissolvere, nulla tamen earundem signatura. Ex centum herbis vix una monstrari potest, cui non succus viridis acerbis exprimi possit, ergo omnes herbæ conducunt ad fellis expurgationem, quæ consequentia? at quot *χολαγωγὰ* tam experientia quam ratione extant similitudini fellis omnimodo contraria, qualia *manna, cassia, tamarindi, rhabarbarum, therebrinthina, rosa, viola, persicorum flores &c.*, annon lienem respiciunt *capparis, epithimum, semcalida majora, minora, ceterach, raphanus &c.* nec tamen eidem sunt similia. Cur non *utricularis* Ventriculum ob similitudinem curat, at quid magis ventriculi concoctionem

ad iuvat & auget, quam *Zedoaria*, *rosmarinus*, *menta*,
schenanatum, *piper*, *betonica*, *absinthium*, *salvia*, *macis*, *sem. anis*,
fenic, &c, nec sunt aliquo tantum modo eidem similia, &
omnes caules eodem modo intestinis quo *calamus aromaticus*
& *cassia fistularis*, possunt assimilari, quot autem sunt ipsis
moxam in ferētes. *Ophioglossum* eodem modo pudenda re-
præsentat, quo *aron*, non tamen iis medetur. In *visco quer-
cino* duo noduli in caule intra folia similitudinem testium
præ se ferunt, nullus autem unquam dixit illis prodesse.
Utero propria medicamenta sunt *artemisia*, *betonica*, *origa-
num*, *calamintha*, *melissa*, *centaurium minus*, *rosmarinum*, *flores
chamal* & *helenium* &c, nec unicum simile est utero. Potius
folia *aristolochia rotunda* renes aliquo modo repræsentant,
quam *portulaca*, non tamen profunt, pofunt autem *Capit-
lus Veneris*, *urtica*, *asparagus*, *ruscus*, *fili pendula*, *daveus*, *charesfo-
lium* &c, *Polipodium* quam pulcherrimè spinam dorsi re-
præsentat; nullum tamen eidem commodum affert, caules
& stirpes si gnaturam habent ossium, quis autem unquam
perhibuit iisdem omnes prodesse. Sic *vena* foliorum her-
barum, signaturam obtinent nervorum & venerum, at
quis earum in vitiis nervorum & venarum usus? Sudori-
fera, qualia *sambucus carduus benedictus*, *sarsa parilla*, *cornu
C.* *terra sigillata* &c, nullâ pororum prædita sunt signaturâ.
Digitalis formam digitorum præ se fert, ad articulorum
dolores tamen non confert. Et nisi vera esset nostra hy-
pothesis *infra thes.* 1. *Artic.* 3. proposita *Mandragora* esset uni-
versalis medicina, lapis ille decantatus *Philosophorū*, qui
mederi dicitur omnium partium corporis nostri malis, cum *Man-
dragora* totius hominis signaturam habere dicatur.

4. Imò annon hac ratione juxta *Grolli signaturas*
omnes herbæ, quæ inter se sunt similes, ob mutuam simi-
litu-

firudinem, erunt unius ejusdemq; facultatis? quod tamen absurdum, & grande absonum. *Cicuta* annon similis est *Pastinaca* & *Cerefolio* adeo ut vel fallere possit optimum Botani cum; *Cerefolium* autem & *pastinaca* profunt; *cicuta* obest: Sic ipse novi ante triennium hic lotricis filiam esu *cicuta* pro *pastinaca* delirio vexatam, quæ postmodum alexi pharmacorum ope Deo dante restituta. *Viscus Castaneis* in nascens *quercino* similis ad formam, dissimillimus ad vires, *Chrysanthemo* & *buphtalmo* & *scyllis* & *salviis* & *avellanis* & multis aliis idem accidit.

5. Quid vero dicat Crollius cum summus opifex rerum voluerit nobilis ostendere vires plantarum, melius, quam per signaturas, omnibus hominibus notas, efficere non potuisse: si fecisset id per loquelam, vario idiomate debuissent loqui, commiserationem meretur: ipseq; fuisset privandus lingua ut omnibus hominibus per signa esset intelligibilis.

6. Quam fallax etiam sit investigatio intimorum morum ex corporis notis externis, quis ignorat nisi helleboro purgandus? Felix quidem, imò felicissimus Galeni iudicio l. 4. M. M. c. 3. esset, qui solo aspectu rerum dignoscere posset vires: at cui hoc contigit? Nemini. Aliquando quidem ex hominis physiognomia possumus divinare, illius tamē scientiæ falsitas unicuiq; jam probata. Frons enim, inquit Cic, in Pis. oculi vultus, persæpe mentiuntur.

7. Unde est colligere quam parum Crollio tanto Heroi conveniat modum investigandi herbarum vires fundare in similitudine, quæ semper claudicat; in signaturis semper periculosas aut damnosas & incertis; quas à novatoribus hypochondriacis institutas, & excogitas arbitramur, saltem ut Veterum bene meritorum scripta de ponte deijcerent, Conclusionis loco signata artis Professoribus convenientiam

nientiam monstrabo *scriptorum de signaturis editorum cum flamma*, quæ signatura rogo ut *Crollio* quoq; inseratur. *Scripta* inquam *signaturarum signaturam habent cum flamma* Flamma enim à lata basi desinit in pyramidem; sic libri de signaturis rerum primum editi novitatis gratia basin sat latam habuerunt, quæ tamen desinet in Pyramidem, à qua tutos non nisi *Vulcanus* reddet. *Quæ quidem animi & exercitii gratia hac vice de cognitione & investigatione plantarum earumq; virum in medium adducere volui. Deo sit*

LAUS ET GLORIA.

COROLLARIA.

I.

Febris dicitur calor cordis præter naturalis; Ego contra communem hanc Medicorum sententiam arbitror febrim consistere posse non solum in calore præter naturam, sed frequenter etiam in innato natura calore & motu valido caloris uniti in foco corde ac impetu ejus vel ad coquendum, vel ad pellendum humorem ipsum peccantem.

II.

An semen proveniat à toto corpore *questio tristissima maximè tamen existit intricata*. Arist. 1. de gen. anim. c. 17. & 18. lib. 1. de anim. ortu c. ult. 6. de hist. anim. c. 13. multis rationibus & argumentis negat, à toto semen venire. Galenus lib. 2. de fem. c. 3. contra Empedoclem defendit idem; quem sequitur *Fernelius* de procr. hum. c. 2. quatuor potissimum rationibus *Vallesius* l. 2. contr. c. 7. quinq; hanc in rem meditatur rationum schemata. Dicitur vero *Fernelius* novam in scenam produci opinionem. Nos rejectis his & aliis sequimur *Hippocr.* & alios qui statuunt, semen à toto venire


-irA

III.

Aristoteles putat pullum fieri ex albumine, vesci & augeri ex vitello lib. 3. de gen. anim. c. 1. *διότι οὐ καὶ ἀπὸ τῶν ἀδύνην μὲν ἀρχὴν τὸ ζῶον λαμβάνει* *ἢ τῶν λιναίων ἢ ἰστῶν* (*ἢ δὲ τῶν σπέρματι ψυχικῶν ἀρχῶν*) τὴν δὲ θροφήν ἐκ τῶν ἀ- *ρχῶν*. Et albi; seum seqq. Albertus, Thomas, Joh. Grammaticus Cale- prius, Fernelius, Toletus, Scaliger. Conciliator &c. Nos dici- mus vitellum & albumen fieri foetus. alimentum simul.

IV.

Aqua eâ altitudine ascendit qua etiam descendit, unde externis sy- ph. nis orificium in vasis cujusdam vacuatione & depletione semper infra li- quoris hori zontem, deprimi debet. Sit vasculum quoddam a. b. siphon c. d. e.



repleatur vasculum usque ad summum li- quore aliquo & fingatur hujus supra su- perficies f. g. deinde ore attrahatur aqua per orificium c. dicit experientia fistu- lam non ultra lineam sive horizontem h. i. deplere liquorem. Cardanus lib. 1. de princip. rer. p. 13. causam sitam esse hujus rei putat in aqua supra hon- zontem, h. i. usque ad f. g. elevata inna- tagravitare qua aquam usque ad i h de- primat. Nos dicimus causam impellen- tem esse homo genearum partium con- creationem, usque ad figuræ perfectio- nem, ita tamen ut gravitate vel mole loco instrumenti utantur: tamdiu enim

movet pondus donec figuram suâ aqua vel aliud corpus homo geneum & con- tinuum sit sequ. tum.

V.

Odor vini cerebro & nervis nihil nocet. Omnis enim odor bonus, ait Avicen. lib. de erroribus qui accidunt in regimine sanit. tr. 2. c. 5. per hoc quod est bonus & odoriferus confortat cerebrum, & Galen. lib. 5. sec. loc. c. 3. Odor bonus corroborat, gravis subvertit.

VI.

Tritum est dieterium, lippis etiam & tonsoribus notissimum.

Wer ein alten Kerl wil geben
Spül die Milch ab von der Esber.

Galenus tamen 7. M. M. c. 5. 6. T. S. c. 7 Lac facile concoctionis alimentum
 laudas, quas laudes Duxetus in annot. ad enarrat. 22. Holler. p. 213.
 Heurnius aph. Hipp. 5. f. aph. 64. & alii fusius persequuntur. Nos in con-
 fectu mentem explicabimus

Ad Dn. Respondentem, amicum suum percharum.


DE signaturis Plantarum Crollius egit,
 Egit & externas virtutem ostendere formas
 Internam asseruit nec non ratione probavit.
 Hæc tu dum reputas dubius nova pugna laceffit,
 Reijcias ne, legasve, probes, patris æmula virtus,
 HORSTI: Respondes nulla ratione tueri
 Posse virimentum, quoniam haut collectio CROLLI
 Sufficiens fuerit, siquidem haud genus omne probabit
 Plantarum; Studium laudo, quod quærere verum
 Coneris: Bonus est GALENUS, CROLLIUS idem;
 Sed mage qui verum pro vero venditat ipsum
 Hinc ut capisti Medices sophicesq; liquores
 Imbibe & aspectu videntum collige campis
 Herbarum vires, sic te ad vada limpida LANI
 Divina ASCLEPII modo gloria, fama, manebit.

In perpetuam amicitia memoriam

M. Georgius Wentenius.

F I N I S.





X 2615938

WDM







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

DICA

ARUM

1639, 2

21

Vtri,
ANNI
ET PRO-
DOMINI
morandi.

Marzii.

UM
nanni,

